Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1748) Liby 1448

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 13. Decembris.

M. PHILIPPO DOUTE', Doctore Medico, Præside.

Esne in morbis, Natura tota in Συσκρίσει & Διακρίσει?

SIMIA Naturæ medicina, quùm Naturam novit, nescit fortunam. Ultrò Illa nos docet opera sua imitari, quæ facimus agnoscentes, nescientes ferè quæ imitamur. Una morborum medicatrix, consilio non erudita regitur, furari salutem nescit, neque didicit novercali ἐκπωμάτῳ in occultum exitium crescentem labem producere: Hæc cæca amensque, non audit disciplinam, facit imperitiam, propinat remeritatem præsentissimum artis venenum. Multos fortuita sanant, nec remedia sunt. Nonnumquam & in procella confusis vestigiis cœli & freti portus offenditur prospero errore; nonnunquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur cæca felicitate: Ita Naturæ & artis maleficiò, Pharmacis nocentibus populari opinione defertur beneficium ægræ valetudinis. Sola ideò meritò clavum remperat Natura, quia ἀνύπαρκτος, alreri non invidendà potentiâ feciali arbitrâ vitæ & necis: hinc ægro non licet sine tessera mutare sortem. Quæ ἀσύμφωνος evanescunt, evadunt δύσκριτα: sirim in acutis extingui malum: suo exitio critico die ἄκυρος, sine crisi Hermocrates. Ita lustrat cuncta & oscitante interdum medici industriâ, calorem & spiritum, vigiles morborum κατηγόρους primum sortita, ὀφθῶς sola laxat λύσει, μερίμνα, ὑπτιάσει: in lucro habitura semper minore damnò salutem quærere, quùm nullam sperat, sic in voti partem veniunt & ipsi morbi. Phreniticos βεκχικωδίας hæmorrhagiâ, sudoribus, dysenteriâ, ischii dolore liberat: Apoplecticos & convulsos acutâ febre, etiam intandâ. Hæmoptoicos juvant μελαγχολικὰ ἀγκήματα: mammarum tumores, screatus ἀμάωσ@non τροῦδής. Ebrietas solvitur cephalalgiâ, gravedine, alvi dejectione spontaneâ, contagiosæ lippitudines: cruentâ, cardiogmi, ὕδατίδια, anasarca. tumente aqualiculo mortem alius in diem parturit, ni lotii profluvio subsideat. Lienis ἐπάρσις in articulos desinunt, nisi sanguis è sinistra nare proruperit. Thasius profuit dysenteria, varices podagræ, nephritidi hæmorrhoides sunt remedio. Suppressis mensibus, phyma ἀείφυον in inguine. febrem ardentem tollit leipyria, hanc cholera: colicum dolorem, arthritis. Quin etiam morbos quibuscum imprudens συναφροῦῆ, mutatione ætatis tanquam emerità decessione dum exuit, salutares facit in magno morbo infantium ἐκλαμψίας, primò sororiantium mammarum ἄρσις, & chronicæ tussis medelam tumores restium. Imò contrà fortunam luctata Naturæ virtus, in morituris & post fata duraturæ illius sollicitudinis fidele argumentum rejectæ in demortuis vomicæ, lauidæ vomitiones, deposita ultrò rerrimenta. Tantum ad nostri tutelam composita, ut studium cuique, medico exemplum dederit vitandi nocitura, profutura quærendi.

NATURAM, animum ne credas, cujus sit regere & moderari corporis functiones. Supremi ars illa Dei, tantò humana arte superior, quantò hæc illa inferior: Archetypus artis illa, hæc illius umbra. Utrique proinde nec motus idem, nec communis modus. Stupendum hujus artificium in partium stamineis primitùs jaciendis observa. Mirere quot illius artes, quot opera, ad destinatos licet usus nata, in unum tamen conspirantia. Inditus est adeò sine sensu sensus cuique character Artificis, simili ut gaudeat, respuat contraria: Viden ut impuro de sanguine, purum succum sibi prolectet corpus, nec nisi sit congener, partibus alendis potis est adjungi. Viden intestina cuncta lactibus è teneris carpere simul excrementa chylo mixta; sic sanguis it integer cum pure, vomicam putrem mittit pectore inoffensum cordis viscus. Partibus humor utilis, inutilis unà mixtus ineft, solus sensûs ponit discrimina similis dissimilisve rei: Natura quod illis prodeft retinet, pellit inimica. A luce in orcum irrequietus agit is labor: tam altè his impressa manet, data Summi Opificis tessera, ut deleri non possit, nec nisi cessante vita cesset. Hic qui primùm mixta condidit corpora, nihil in ipsis sincerum stare voluit ac impermixtum. Συγκρίσεων & Διακρίσεων æternæ leges vicesque positæ. Interitus lex una: n eo nempe valetudinis labes, unde est illius origo. Hanc facit arctiore nexu solidorum filiuidorúmve corporum certus & idoneus vitæ officiis commensus, hanc destruit alienus. Hinc ab intestino διακρίσεως aut συγκρίσεως vitio morborum genus omne: hinc omnis Naturæ labor quò nocitura ab utilibus secernat componátque ad exitum. Perenne hujus studium διακρίσεως, minus, etiam ocularissimis, perspectum. Abditum illud non licet detegant de Epicuri ludo, Carteſii machinis excitata mechanicæ medicinæ placita; tam benè multos tamen ejus consilia & munia fugiunt, cujus scientiam qui se putat nosse, minuit, qui non vult minuere, non novit. Hinc difficilis instituenda futuri certa prognosis, fallente ejusdem vestigiò, pronòve suò impetu aut alienò in valetudinem aut fata inclinantis. Hinc rerum etiam naturâ disjunctissimarum passim obviæ similitudines optimis ac consideratissimis medicis ex facili imponunt, justáque illarum internoscenda affignandáque divortia in Naturæ sinu altiùs condita ac sepositа sensuum & rationis sese subducunt judicio. Res proinde ejus omnes, viresque administras solis ne tribuas atomis. Harum instabili lege, variante forma, incerto positu, tumultuaria coitione & ordine, vago impulsu, variè mutabili plaga, pondere & gravitate stare sic non possunt circumscripta ac definita Naturæ opera, ubi singularis delectus & modus constat excernendorum. Symptomaticæ criticæque secretionis non intelligis divortia, qui uni partium structuræ & configurationi pororum cum humore secernendo adscribis. Quid opus quæsitam meatuum & humorum secernendorum proportionem comminisci, ubi injussæ Naturæ virtus major est, quam humorum crassities, aut tenacitas pigra vel angustia meatuum. Sic illa, dum per vim morbi vices suas abalienata plerúmque experitur, indictò justitiò, vel mutatò commeatu obvios quoscque humores diversæ licet gentis & figuræ indiscriminatim expellit. Suas ἑρίδους ultrò citróque agitat indefessa studiò continenti, coram adest præsens singulis partibus, nusquam desit necessariis, superfluis non abundat, libera hæc aperit partibus commercia, ubi negata dabit, omni arte venit potentior, quod nequit hæc, Illa præstat in plerisque inaspectabilis, bene docta vias inveniet ignotas, quas recludet nemo, quod urget ductu novo dabit ire. Commodùm ex officio, huic æmulus accedes, si priùs obsérvaveris operantem.

PURUM reddere quod impurum, non secernendo, sed mutando & in priorem Naturam restituendo, ejus uniùs est qui creavit. Ab arte procul exulent Paracelsi Quinta essentia foliorum Dauræ; Cedrinum oleum Vanhelmontii; auri potulenti beatus pretiosissque hausrus, quibus elatus & exultans temerè gestit triveneficus Agyrta; sic fallitur & fallit populari imperitæ multitudinis opinione doctus, scitus doctor, oppidò frugalis & diligens procurator Naturalis peni, visus sibi omni arte major supra Naturam sapere, qui partes hujus agat & impleat: Quæ duro ore ubique venditat, nullibi ostendit, opere saltem approbet. In συγκρίσει & διακρίσει peragenda quas sibi partes habeat Natura, quid dandum fermentationi non pervides, qui integrum negotium fermento committis, eòque uno coërces. Hujus vocis sit abusus cum plena veniunt fermentis corpora. exuis indè vitales spiritus manere, quùm vitæ complent munia. Non omne fermenti nomen Naturæ rebus idoneum, Nullum sufficiens. Fermenti in morbis audita querela, humoris hæc acidi, acris, rodentis: non nisi fermentum istud splen putris concipit; immixti sero permixta bilis in bullas resoluta gravi fermento, resedit nigra colore, atra, vitiò illutibili. Ex primordiali Naturæ lege ad vitæ sustinendæ demensum necessaria sinceri sanguinis alluvio, stata & tempestiva rejectaneorum secretio. Verum ubi mora vitium substantiæ superaddidit, sive in sanguine sedeat illud, sive sit in partibus, sive unius congestæ quantitatis, sive ejusdem corruptelæ querela sit & præsens injuria; hæc una medendi via & ratio, corruptæ substantiæ tempestivè moliri discessionem. Debita solam Naturam manet hæc virtus. Illa dum à se excurere alienactos humores fatigatâ inaspectabilis, opere & eventu se prodit, castigatò, prudenti, securò & efficaci adhibitò delectu. In συγκρίσει & διακρίσει totam illam videas, partim illa retinendo, hæc partim deturbando, partim opportunè & commodè deducendo in consentanea loca. Non nisi domina movet humorem noxium, hunc per vim morbi toto copore dissipatum, à viis publicis longè sepositum, non ante ad excretionem agit, quam convenire illum jusserit, curaverit in communem quemdam locum deportari, unde illa, facilitate non vi, deditum obsequio, decretorio judicio ὑφ' ὑμοφερόντων χωρίων, solido ac subitaneo impetu, stato condictóque die è corpore eliminare commodiùs queat. Modò huic operi impar, quod infestum gnavis assiduisque operis adhibitis curat seponi, in partes deportari ad κάθαρσιν aptiores, proniore siru facilè & expositò viciniæ compendiò, vel sapienti primæ constitutionis institutò, gentili ignobilitate excipiendæ alienæ injuriæ molliisque perferendæ innatâ, nexúque consuetudinis addictiores, præsenti tamen optionis factâ copiâ (quod secunda vota in primis commendat, liberat metu infidæ κατάστασις, vel gravioris mali expectatione) longò intervallò distantissimas.

ΣΥΓΚΡΙΣΕΩΣ & διακρίσεως beneficiò caduca inter, Natura se sustinet. Caput dolentibus, Vertiginosis, Apoplecticis, pleuriticis, phreniticis, anginosis, asthmaticis, febrientibus, athletis, solenni vel insolenti inordinatòque æstu locis humentibus, hæmorrhagiâ, hæmorrhoidibus, cruentâ dysenteriâ, diarrhœâ, peritheâ, vomitu, spurò, sudoribus sponte atque ἄνευ σφυγμῶ totò corpore manantibus facit medicinam: parisque opere intestinæ impuritatis in corporis habitum ambitúmque amandat analecta, sparsa in καύρροις latentis maleficii ἐκδεδόμενα despumat in cutem, sordidis hiulcam ulcusculis, herpetibus scabram & exasperatam, malâ scabie & porrigine pruriginosam, sacris perustam ignibus, verticoloribus pictam maculis, erumpentibus undique versum papulis, varis, furunculis, carbunculis extantem, sicque quà datur procuratâ peregrini humoris excrementive decessione, ejus studiò & operâ purus sanguis & integer manat vasis, corpúsque vegetat. Quod si per vim morbi peiùs morati arbitrio suo careat, parium Natura principum, publicò munere nobilium, molestiæ sensu præcipuarum mala, cæterarum redimit minuitve damnò; suò sic illa nos erudivit exemplò, nudam intemperiem, si quæ fortè sit in malis, parátque graviora, viribus opposiùs posse emendari. Humores scilicet, κρᾶσιν ἢ μετεώτητα, in sanis ægrisque & ratione diversa postulare. Illis quidem ad tutelam integræ valetudinis necesse est, ut nullo in loco synceri cubent ac perstent, eaque copia sit, quæ destinato usui æqua, neque Naturæ muneri gravis. Hos verò si morâ divortii vitium conceperint, non alia ratione posse Naturæ conciliari, quàm pro corruptelæ qualitate & modo, insensili vel manifestâ vacuatione corporis finibus excesserint. Utque corruptelæ alius atque alius modus est, ita & medelæ, quam ipsâ sibi Natura adhibet, morbóque per se defungitur. Si gravior illa, κατ' ἔκκρισιν vel κατ' ἀπόκριμμα manifestò prodit studium excernendi: celat ubi minor, minusque exhibet negotii, ut sit in benè moratis morbis, qui sponte suâ, nullâque vi adhibitâ tum videntur decedere, sensim & clanculum sepositâ & exhaustâ omni corruptelâ.

QUID igitur sit Natura, scisciratri desine. Illa quam ἑφωτὰ confessus Legislator, in οἰκείωσις & διακρίσεως negotio sic arti se dedit in exemplum, ut tota medentis procuratio sit, nihil ejus ingratiis tentare: artem cum regit Illa, non sinit archetypo labi, tota cæterò infida erubescit peccatis. Omnium illa artis operum princeps, dux & consors, nihil hujus eget ope, suo cum regno utitur vel abdicatur; at ubi oppressa, quò ad hujus normam facili felicique subsidio laboranti operam locemus, nobis præit exemplis, nihil ut nisi præparatò, nihil festinatò feciſſe videatur, quùm libertate studet ægrotantem: humorem morbi fomitem, naturâ vel mixturâ corruptum, deditum, obsequio facilem ad excretionem adornare, accuratò pepasínò primùm meditatur, exinde deportare advenire, impedimenta removendo & offensiones, quæ illi negotium creant, seu partium illæ sint, seu humorum abigendorum, complanare vias ac reserare: humores plus æquo fervidos temperare, comprimere impetu feroces, impotenti orgasmo exundantes, injuriæ proximos, optima minuere opportunitate, tenuare crassos, pigros & tenaces incidere, suis labris ac cuniculis abditos devocare, innatâ ascititiáque mobilitate vagos palatosque cogere in ordinem, indole præfractiore, mutatâ tesserâ alioversum extra viam declinantes, præsentissimò meditatæ revulsionis derivationisque consiliò revocare in semitam: Uno verbo nihil Triumphanti insolens, nihil triumphatæ infestum; sed auditò priùs Naturæ pottisculò omnia ad Dominæ nutum assiduò fidelique obsequiò componere.

Ergo in morbis, Natura tota in Συσκρίσει & Διακρίσει.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

M. Pontius Maurin.
M. Franciscus Maillard.
M. Joannes Poisson.
M. Jacobus des Prez.
M. Renatus Chauvel.
M. Petrus-Paulus Guyart.
M. Raymundus Finot.
M. Matthæus Thuillier.
M. Carolus Marteau.

Proponebat Lutetiæ ALEXANDER-PETRUS MATTOT, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1691.